

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Qvinqvagesimae Euangelium, Luc. XVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

alios plus laborare alijs. ut Paulus pluribus prædi  
cauit, quam aliquis alius.

DOMINIĀ QVINQ VĀ  
gesimæ Euangelium,  
Luc. XV III.

**A**SSVMPSIT autem Iesus duō  
decim, & ait ad illos. Ecce ascendi  
mus Ierosolymam, & consummabun  
tur omnia, quæ scripta sunt per Pro  
phetas de filio hominis. Tradetur em  
gentibus, & illudetur, & contumelij  
afficietur, & conspuetur. Et postquam  
flagellauerint, occident eum, & die ter  
tia resurget. Et ipsi nihil horum intel  
lexerunt, & erat uerbum istud abscon  
ditum ab eis, et non cognoscebant, que  
dicebantur.

Factum est autem, cum appropin  
quaret Iericho, cœcus quidam sedebat  
secus viam mēdicans. Cum autem au  
diret turbam prætereuntem, sciscitaba  
tur quid hoc esset. Annunciauerunt  
autem ei, quod Iesus Nazarenus tran  
siret. Et clamauit dicens, Iesu fili Dauid  
misere mei. Et qui præibant, increpa  
bant

D M I N I C A

bant eum, ut taceret. Ipse uero multo-  
magis clamabat, Fili Dauid miserere  
mei. Stans autem Iesus, iussit illū addu-  
ci ad se, Cū autem appropinquasset, in-  
terrogauit illū dicens, Quid tibi uis ut  
faciās? At ille dixit, Domine, ut respici-  
am. Et Iesus dixit ei, respice fides tua te  
saluū fecit. Et confessim respexit, & se-  
quebatur illum glorificans Deū, et om-  
nis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

De cœcita-  
te humana.  
Secus iudica-  
tio de chro-  
ni ecclesia  
Ecclesiam  
subiectam  
ad crucij

**P**rimus Locus est de cœcitate humana, quæ fu-  
git Crucē & de Christo, & de Ecclesia pro-  
pter crucem secus iudicat. Sicut Apostoli et Iudei  
expectabant Meſſiā, qui eis daret opes et imperia,  
non qui augeret miseriā. Sic prophani non iudi-  
cant hunc ærumnosum cœtū esse Ecclesiam, quem  
Reges et Principes persequuntur. Ideo Euangeliū  
toties nos admonet, oportere Ecclesiam, simile esse  
filio Dei. Sicut ab initio subiecta fuit afflictionibus  
ut exempla Abel, Isaac, Iacob, Ioseph, Esaiæ, Iere-  
miae, & similiū testantur. Talis semper est Ec-  
clesia, sicut in Paradiso prædictū est. Et serpens  
calcaneum eius mordebit.

De apostolo, SECUNDVS. Quod Ecclesia habcat erro-  
rum infirmitatem, et infirmitatem, testatur hæc imbecillitas Apo-  
stolorum.

postolorum, qui tum non dum persuaderi poterant,  
Christum tam atrocia & indigna passurum esse.

Estq; consolatio, quod Deus etiam infirmos, qui tamen <sup>Quod Deus</sup>  
men sunt dociles, non aspernatur, sicut Paulus infirmos  
inquit de in-firmis, Deus eos recepit.

<sup>recipiat,</sup>

TER T I V S. Accommodatio fiat ad nos ipsos. <sup>quatenus</sup>  
Hec misera natura est sub peccato, ideo morti et  
multis ingentibus calamitatibus subiecti sumus, &  
iudicium à domo Dei incipit. Porro cum sumus  
in afflictionibus, cogitamus nos abiectos & deser-  
tos esse. Hic discamus ex Euangелиo iudicare de  
his ærumnis, discamus hanc oportere esse formam  
Ecclesiae, imponi ærumnas, ut agnoscamus pecca-  
tum, & queramus liberatorem. Sicut inquit Pau-  
lus. Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omni-  
um misereatur. Item. Venite ad me omnes qui la-  
boratis, Item, viuo ego, nolo mortem peccatoris,  
sed ut conuertatur & uiuat.

### SECUNDA PARS DE COECO.

Cœcus fide impetrat uisum, et constantia fidei <sup>Constance</sup>  
tantæ prestat, ut non desinat clamare, etiam <sup>fidei in</sup>  
alijs eū obiurgatibus. Hoc exemplū, ut pleraq; alia  
videlicet Centurionis, Cananeæ et aliorū, pertinet

1 2 ad hunc

## DOMINICA

*Imiocatio  
& fides  
proprij,  
cultus Euā  
geli.*

ad hunc præcipuum locum. docet qualis liberator sit Christus, docet item de fide, Nam hunc cultum ratio & lex non docent, sed est proprius Euangelij, ideo toties proponitur, ut nos quoq; eum exercere discamus, & Christo præstare. Sicut hic cœcus, sicut Cananæa petunt fide sanationem, propter hunc Dominum, nec deterrentur ab eo conspectu suæ indignitatis. ita & nos confugere ad hunc Dominum, fide petere & expectare necessaria beneficia debemus. Hic est præcipius cultus & proprius sanctorum seu Ecclesiæ, Et huc omnes tales sententiæ pertinent. inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit. Item . in ipso genites sperabunt.

*Qualis li  
berator  
sit Chrg.*

Huc congerantur omnia exempla in Euangeliō, ubi Christus suo testimonio fidem prædicat. Fides tua saluam te fecit. Et hæc ipsa Exempla testantur, Christum esse talem liberatorem, cui hæc natura, mors & peccatum subiecta sint, qui sit liberatus nos, à ueris & æternis malis, à quibus nemo aliis Princeps liberare potuit. Et sic sentit cœcus de hoc Domino, cum uocat eum filium David, id est, Messiam promissum Dauidi, et petit rediuisum, quod nemo præstare poterat, nisi talis dominus, cui hæc natura rerum subiecta sit.

Dominica